Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philos.
1715 mens. Aprilis die





Kraus Jos. Antonii: Clypeus orbis Palladii — in VV. DD. XXV secundae laureae candidatis expositus.

# CLYPEUS ORBIS PALLADIJ,

GRATIOSISSIMO CAPITE
CELSISSIMI PRINCIPIS
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

# D. CASIMIRI

à ŁUBNA

# ŁUBIENSKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIENSIS, DUCIS SEVERIÆ,
INCLYTÆ UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS
CANCELLARIJ FAVENTISSIMI

# MUNITUS.



In VV. DD. XXV. Secundæ Laureæ Candidatis;
*DUM*
*à Perillustri* & *Reverendissimo Domino,*

# D. M. ANDREA KRUPECKI,

J. U. Doctore & Professore, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis
Canonico, Premykoviensis & in Niegárdow Curato, Contubernij
Jurisp: Provisore, Studij Almæ Universitatis Cracoviensis
PROCANCELLARIO.
*In frequentissima Illustrissimorum Hospitum Corona.*
Magisterij in AA. LL. & in Phil: Doctoratûs Licêtiam,
RITU SOLENNI CONSEQVERENTUR,
Contra Scientiarum Hostem

## EXPOSITUS.

Ac fraterni amoris & gratulationis ergò
*A*
JOSEPHO ANTONIO KRAUZ, Cracov.
ejusdem Laureæ Candidato.
Concentu Panegyrico

## DEMONSTRATUS.

*Anno Domini M.DCC.XV. Mensis Aprilis. Die*

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

# In Stemma Illuſtriſſimum PERAVGVSTI CAPITVLI Cracovienſis.




Aſper odoratis Libanus ſe tollit in altum
Cedris, tranſcendit nubila celſus Atlas,
Clarior aſt illis Lechico nitet Orbe Vavellus;
Vertice, cum trinum fert diadema, ſuo.
Non folium, non herba levis, non fertilis arbor,
Hic creſcit, retinet, trina CORONA locum.

# ILLVSTRISSIMIS, PERILLVSTRIBVS, & REVERENDISSIMIS DNIS DD. PRÆLATIS & CANONICIS, TOTIQ; PERAVGVSTO CAPITULO

Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, DOMINIS & PATRONIS Amplissimis.



*Lypeum Orbis Palladij solis hactenus æstuantis in arena literaria certaminis excoctũ ignibus, post superatos labores, tandem victores (si gloriari licet) CORONIS admovemus. ILLVSTRISSIMI, PERILLVSTRES & REVERENDISSIMI DOMINI Decet sanè non alio Palladem nostram sub signo triumphare; quæ Magnis Vestris domestica Nominibus, ubiq; militat. Exeste dura bellatrici dexteræ juga Alpium, aliter, nisi sæper fusis liquoribus, emolliri nescia; ad sanctiorem nobis Vavellum amplior patet aditus, non trucis inventô Annibalis, sed appretiando gratiæ Vestræ ingeniô, eò gloriosiùs, quò mitiùs, ad CELSISSIMVM CAPITVLVM, vel potiùs ad Patrum licet ire Capitolium. Excepta jam mutamus fulmina in lumina, in fulgores variamus fulgura, cùm non Medusæ, sed Principe Scutum muniri CAPITE, non mollibus Clypeum vinciri*



ciri

*ciri sertis, sed ultra victrices laureas, aureis ambiri CORONIS intuemur. Reperit tandem tot lustris quæsitam exantlata quietem Minerva, reperit protracto denegatum tempori respirium, dum non viridi tantummodo umbras sub lauru, verùm sub aureis quoq; diadematum frondibus propitios sibi venerari Phœbos concessũ. Equidẽ nullibi meliùs deposuisse suos visa Clypeos, nullibi securiùs locasse armaturã quàm in divinioris sacra STANISLAI area, ubi tot umbones, quot PONTIFICES, tot scuta, quot PRÆLATOS, tot Clypeos, quot CANONICOS, prisca mirabatur ætas, intuetur præsens sæculum, sera stupebit posteritas. Quid enim Vos ô PATRES Patriæ! ATLANTES Ecclesiæ! Non uni certè diadema natum sceptro in præmium, tot Regna, tot Imperia imò totum Christianum Orbem profusis illustrat nitoribus, uni radiando Vavello. Nemo hìc, nisi ad CORONAS, nemo, nisi natus ad Tiaras; Hoc agit Triplex CORONARUM Ordo, ut non sola tantùm Roma Caput suum, etiam Cracoviensis CATHEDRA uniuscujusq; PRÆLATI emeritum verticem multiplicato in plausum vinciat diademate. Si nempe par meritis debetur honos, totus huc defluat, est necesse; defluxitq; in CORONIS. Miratur Orbis Majestatem VESTRI NOMINIS, ac in stuporem rapitur; quam summâ parastis eruditione, fovetis pietate, nutritis munificentiâ, aliam prærogativæ nescij quærere excellentiam, nisi quæ ex his oritur fontibus, ut vera nũcupetur. Fictas vel pictas alibi maturior videt animus gravitates, ubi vana potius intumescit ambitio, quàm majestuosa crescit authoritas: hìc superis vicinam veneratur. Erigat superbo fastu Roma ære fusa Capitolia, ut processuram veteri ritu in theatrum Orbis, triumphis comitetur Sapientiam; extra Latium & noster triumphat Septemtrio VESTRUM veneratus AUGUSTALE, ubi perenne sibi solium posuit Eruditio. Nullum hìc videre CAPUT, quod aurum optimum non probetur, nullum eminere verticem, ex quo non nasci doctior voluisset Pallas, feliciori, quàm è Jovis cerebro, enixa partu, quia non fictitio: quinimo, si Cælum Augustale appellare liceat, tot Ioves, quot PRÆLATOS necesse venerari. Ingens cavillantis gloriæ antiquitati stigma inuritur, quòd muta tot sæculis, coronata veneraretur idola, sub VESTRIS CORONIS nullum spectavit Caput Orbis, à quo non suus veniret honos, & pretium diademati. Pulchre hic Pontificijs Doctorales Laureæ miscentur Tiaris, pulchrè Pastorale pedum, eruditi*

*corym-*

*corymbi circumvolant; ita, ut quod alibi miraculum foret, tantam Doctorum recensere seriem, hîc domesticum, inter sacros fasces, vel Musas Helicona commutare Vavello; vel Pallada Honori, Honoremvè ad celsas prarogativarum aras Palladi victimari. Pridem jam stuporem exuimus, tot Infulata CAPITA in VESTRO PERAVGVSTO spectando CAPITVLO; pridem devinctos animos subjecimus, tot Præsulum, tot Abbatum, tot Doctorum Nominibus centuriatos meritorum mirando cumulos. Quid mirum? in hoc sacro VESTRO COLLEGIO ANTISTITVM, maturam videre messem, quod pridem illorum notari meruit seminarium. Ex hac Vestra Area, publico bono, ubertim tot fructibus refertos Senatus legit manipulos, ex hac Orchestra, Diva Themis tot Aristides ad Regni evocat Areopagum, ex hac militanti signa victricia, triumphanti Ecclesiæ plausus, & triumphi succrescunt, dum truci Hæreticorum hydræ, non unus Alcides, vibrato sapientioris linguæ gladio, dira resecat Capita, totius Religionis commodo & triumpho. Quid de VESTRA pietate dixero? etsi tacuero; muta loqvuntur marmora; absq; voce deprædicant altaria, quantùm sibi à VOBIS accesserit. Excessistis Pompilios, superastis Numam, quibus nulla alia cura potior, nullus conatus intensior, quàm qui intaminatum DEI cultum sapit, illæsum Numinis honorem promovet. Ruderibus toties Deorum intumulata fana; è cinere & favilla excitastis, ut gravi pressa morphæô postquam tandem evigilaverint, devotiori corde gloriam canerent Altissimo; inopes locupletastis aras, inculta exornastis Altaria, quo meliùs & magnificentia Domûs DEI appareret, & dives virtutibus conscientia, candorem immaculatum cordis præseferret. Crescit magnitudo VESTRI NOMINIS crescente munificentiâ, quam indiviso pietati sociastis nexu. Non invidemus Trajanos Latio, & Titos, cùm eos extra Tarpejas cautes, Lechico quoq; venerari liceat in Vavello. Novit & ad præsens experitur inopia populi liberalitatem VESTRAM, novit pupillus & Vidua munificentiam, cùm tot sublevandæ egestati datis suppetias, plus de pauperum calamitate, quàm de VESTRO commodo solliciti. Intuemur quantùm pro communi Christianæ plebis laboretis bono, intuemur nondum detersos fronte sudores, tot sacra sustentando cænobia, suspicati Patrum non vocitandos nomine, si filios, filiasvè Matris Ecclesiæ non aleretis. Exesto jam è nostro limine dura fames, vel saltem saginata recede: liberali Vavelli dexterâ*

 *obru-*

*obrueris, ne erumpas. Innata Virtuti VESTRÆ magnitudo non ita se extollit, ut humilia despiciat. Sublimes, non elati, VOS commodo inferiorum demittitis, ut altiùs gloria NOMINIS VESTRI assurgat, hîs perfectionis gradibûs summitatis suæ secura. Quidquid reperitur in VESTRO Consessu, magnificum est, & sanctum. Sacra illa Majestas intuentium oculos rapit, ac reverentiæ admonet, quam sponte præstant universi. Si beata Imperia, ubi Reges non acephali, beatitudo omnis hîc suam elegit sedem, CELSISSIMO Regnante CAPITE. Ecquis universa VESTRA edisserat ornamenta? Superastis magnitudine virtutum alta Oratorum ingenia, uno Vavelli colle septicollis Romæ vicistis Tullios; illam VOBIS relinquendo laudem, quòd laudare VOS mortalium nemo satis valeat, qui Divinô quodammodo repleti Entheô, aut Jovem ad facta VESTRA gloriosè celebranda evocatis, aut Mercurium. Extenuari Oratorios, quinimo nomen suum fontes amittere, advertimus; quoties immensum encomiorum Vestrorum subeunt Oceanum: extenuari & Eloquentiam: de his enim dicere quis tutò audeat? quos vocalis fama toto plenîs Orbe buccîs quamvis celebraverit, num tamen, quantum laudis debuit, tribuerit; expavescit. Satis est flexo Magna Nomina, an Numina venerari poplite, satis profunda taciturnitate buccinantes per æthera loqui Panegyres, & si immensum Virtutum & Meritorum VESTRORUM æquor haurire non licuit, sufficit, saltem illius lambere superficiem. Faxint superi! ut Illustrissimus CORONARUM Ternio, uti Ecclesiam Virtutibûs, meritîs Patriam, ita orbem gloriâ repleat immortali: & cum nulla sub sole reperiatur virtus, quâ florentissima non niteant clariùs Vavelli VESTRI culminâ, nulla quoq; sit regno Curulis, quæ coronata sibi non exoptet Capita, ut veneretur. Certè Clypeata Cohors Palladis edocta dudum honori VESTRO militare, seræ trophæa posteritati leget, victrixq; cumulabit triumphos; cum Vos Duces sub Coronis sibi propitios habuerit. Vivite, & per fasces numerate annos; dulcis Charitum Ternio perpetuâ hic sibi sedē eligat, ubi Ternio CORONARUM. ita precatur:*

ILLUSTRISSIMARUM, PERILLUSTRIUM & REVERENDISSIMARUM DOMINATIONUM VESTRARUM

*Cliens devinctissimus*

JOSEPHUS, ANTONIUS KRAUZ.
*Secundæ Laureæ Candidatus.*

# DIVO JOANNI CANTIO,

## Sacræ Theologiæ Doctori, & Professori, REGNI POLONIÆ & ACADEMIÆ, PATRONO, Fortunatissimo Literatorum DUCI & PATRIARCHÆ,

## ODE VOTIVA.


IVE, quem docti stupuère postes,
Palladis nuper, stupet atq; totus
Nunc Ducem mundus, studijsq; fortem
Esse Patronum.
Tu gravis pridem Superos triumphîs,
Bella post reples animosa victor.
Te per immensum canit omnis æther,
Qua patet orbem.
Clarior luces super astra Phæbô.
Te coronarum triplicatus ordo
Cinxit, & circum sinuata frontem
Laurea CANTI.
Cælitûm summo sociatus Orbi,
Ne Tuos spernas socios. parumper
Linque supremas, peto, linque sedes.
DIVE JOANNES.

Et clientales videas precamur,
Proſper affectus, Tibi quos referre,
Sacra devoto ſtudet ore, tumq;
Pectore turba.
Currimus, prono cinereſq; corde
Ad Tuam PATRIS veneramur Urnam.
Currimus CANTI, celeres nitenti
Reſpice vultu.
Cerne quàm ſævus truculenta Mavors
Spargat in omnes Lechiæ Triones
Bella, nec ſolos premit imperitos
Ira Deorum.
Hoſtis in doctas quoq; durus arces
Palladis ſacræ ruit, & minarum
Terret ingenti pavidumq; vexat
Turbine pectus.
Eurus adſpiret, Boreaſve ſævus,
Auſter, an dulci Zephyruſq; ab orâ;
Dulce nil nobis venit, inde qvivis
Haurit amaras.
Lachrymarum undas: PATER ô Beate!
Literis ingens cupimus ferire
Nos cohors monſtrum, clypeata ſcutô
Nominis almi.
Præſtò victrices poſuêre laurus,
Præſtò vernantes ſuperi coronas,
Bella tranſacta, hinc meritò feruntur
Vertice frondes.
Sêu CAPUT Scuto micuit decorum,
Sêu micat CANTI Tuus univerſis
Candor, & magno cumulata cenſu
Gratia ſplendet.
Cum Ducem nobis Comitemq; fidum
Tu geris, currus vehit in triumphum
Aureus cunctos, nitidiſq; fulget
Laurea venis.

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

# D. M. ANDREÆ KRUPECKI,

J. U. Doctori & Professori, Ecclesiarum Cathedral: Cracoviensis CANONICO, Premykoviensis & in Niegardow CURATO, Contubernij Jurisperit: PROVISORI, Studij Almæ Universitatis PROCANCELLARIO.

*In vim debitæ venerationis*
Laurum flore perpetuo vernantem plantat.

Appensa Epigraphe.
FATORUM NIL METUIT RIGOREM.

PLaudite Pierides, Heliconia turba sororum,
Dulcisonum geminate melos, cantusq; parate;
Et plectris, svaviq; lyrâ, cytharâq; sonanti
Et manibus, tenerisq; jocis, tum voce canorâ
Plaudite; nunc fidibus recinant sua vota Camænæ;
Nunc resonet Phæbea chelys, Domus ecce triumphis.
Docta patet, nullos patitur post prælia luctus,
Æde sua Pallas; non intempesta vagari
Spectra sinit; non bella tonant, victricia signa
Stant Clypeis, frondesq; nitent, viridesq; corymbi,
Circum docta sibi sinuantur tempora: laurus
In roseas merito capiti crevêre coronas.
Auditis? geminate melos, canat Io triumphe
Delius, & celsis resonet sua montibûs echo;
Mars jacet incultus; Jagelonis surgit ubiq;
Musa potens, nec facta silet, nec munera victrix
Servat in obscuro, medio quæ sole peregit,
Explicat, ut totum vulget se fama per orbem.
O rabiem! quantùm fremuit Bellona minaci
In Lechiam vultu, studiosos stringere tantùm
Pestifera ausa lues grassans, securus ut Orbe
Palladio mutare gyros deberet Apollo.
Quid Paetr! ergo jam jam succumbere fatis?
Et tremulos agitare dies patieris? inertem


Luce

Luce sacrâ expellas spiritum: sed promptior illô
ANDREAS fortuna Virûm, cûi militat omnis
Doctus honor, labarum tollens in prælia cunctos
Urget amans, stimulatq; potens, Dux ipse Comesq;
Maturus gravitate Pater, maturus & ævô,
Ad clypeos properare viros persuadet, ad arma,
Convocat, & robur posuit, posuitq; phalangem,
Fronte sua galeata cohors pugnaret ut hoste,
Cum vigili; telisq; sinit confringere tela,
Pugna secunda fuit, nam erat & Dux ipse secundus
In laurus galeæ, Clypei, cessère coronas
In virides, victrixq; comîs victricia signa,
Fert pars nostra suis, Tibi sed debere triumphum
Omnis ait; qui bella cies studiosa potenter,
KRUPECKI, laudande Virûm, gignisq; triumphos.
Non sic auricomus pro Troja stabat Apollo,
Nec pro Romulidis valuit sic Julia virtus,
Quàm Craciæ pro sede scholæ sudare videris
Tu, seriem cursumq; Tuæ donando labori
Vitæ; cumq; alij capto mutantur honore,
Te solum toties altas scandendo curules
Non potuit mutare virum; servavit eundem,
Captus honor semper; micat una modestia vultu,
Gratia tum superis compar, nutrita labore,
Hæc superest quæ nata fuit; spectâte Vavellum,
Et documenta dabit: tum Academi munera dicent
Hactenus, quæ Sophicâ virtus inspersit arenâ,
Hæc melius sed Diva probat Themis omnia, jamq;
Consus ei delectus ades: Te purpura votis
Exoptanda sibi tenuit, sumpsitq; decorem,
Assumptus virtute Tua tum corpore murex.
Quid referam? curas circa Sacra CANTIA Patris,
Quid Provisoris munus tot lustra peractum.
Aut Tibi quid referam? PROCANCELLARIA jura,
Queîs vectus sublime micas, illustrior omni
Sidere, sed magnos melius suppressa loqvuntur
Verba Viros; Te fama vehat super astra polumq;
Exornes Cracium Phæbeo lumine Cælum.
Nominis intacto radiet Tibi vita vigore:
Et cum laurus adest fatorum fulminis expers
Victricis dat signa manûs, tu sæcula vince,
Centenos dignus Clypeis numerare triumphos.



Cla-

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS & ADMODUM REVERENDIS DOMINIS

# DD. EXAMINATORIBUS.

*Clarissimo, & Admodum Reverendo Domino,*

## D. M. THOMÆ POZAPOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatæ S. ANNÆ CANONICO, Czerminensis PRÆPOSITO, ac interea Philosophicæ Facultatis

D E C A N O.

*Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,*

## D.M. SIMONI JOSEPHO WROBLINSki

Philosophiæ Doctori, ejusdemq; Tratnoviano in Collegio Majori Astrologiæ Profess: Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ CANONICO.

*Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,*

## D. M. STANISLAO MARKIEWICZ,

Philosophiæ Doctori, Tylicianæ Eloquentiæ Professori, Collegæ Minori, Curato Stradoviensi.

Omnigenæ gratitudinis ergò,

*Clypeum Ajacis tela repellentem,*

Cum Epigraphe:

Stat Clypeo secura salus.

ÆTerna fastis Nomina posteris
Scribat Virorum, Musa perennior,
Vel sculpat exarando cultis
Marmoribus, lapidiq; sacro.
Delenda nullis dextera sæculis
Stylô Phydiæ nunc adamantinô,
Oblivione non premenda
Nec dubijs superanda fatis.
Quod Roma dudum quæ spolia intulit,
Victoriosis ad Capitolium,
Pôst bella dextris quotve Pænus
Sangvineos numerat triumphos:

Cessisse totum cernit aheneis
Patrum lacertis; Scipio Nobilis
Trophæa ponit, Annibalque
Facta stupet sua jam minora.
Intaminatis sidera Ternio
Cùm replet almus laudibus, & quatit
Terrasq; Neptunumq; amâ,
Sidereumq; Polum tonanti.
Vt Phæbus alto fundit ab æthere
Serenus ignes, ut sine nubibus
Accendit umbris prænitentem
Cynthia, nocte diem, venustâ;
Sic Ternionis gloria maxima
Mundo refulget, sic sapientiâ
Nitere non cessat Palæstræ,
Sic roseo pretiosa virtus
Candore splendet: nectit adoreas
Apollo primas Vir celebris, Tibi
In Orbe Musarum peramplo
POZAPOVI resonante plectrô
Tu Principalis murice Purpuræ
Splendescis Almæ Doctor ab exedra
Matri, Sophorum dum eruditis
Pulveribus vehementer instas.
Minerva nostræ Te decus inclytum
Stoæ recenset; suaviloquentia
Te prodit esse Tulliorum
Stirpe satum vehemens nepotem.
Seu sacra pandis dogmata cultiùs,
Profana mundo seu studiosior
Elogiorum nectis altos
Floribus è teneris cothurnos.
Miranda spargis munera Palladi,
Gemmasq; solus divite colligis
Conchâ, renatas non marinô
Littore, sed capitis fluentô
Æquanda summis sideribus nitet
Virtus coruscat WROBLINII, polos
Transcendit altos, solus astra
Exsuperat speculando Cælum.

Arcere

Arcere novit monſtra frementia
Vrſas, Leones, ô ſapientia!
Hydriſve, Tauris, Scorpioni
Fræna dedit, docuitq; dura
Frangi Matheſi colla potentior:
Hinc magnus illi creſcere cernitur
Vbiq; cultus; hinc favores
Conciliat pretioſa Pallas.
Divina planè mentis eburneæ
Arcana pandit, fit ſtupor omnibus,
Reſponſa quæſitis ferendo
Rhetora, ſive voles Pòëtam.
Victor celebris per Iageloniam
Aulam, triumphans otia, militat:
Huîc laurus aſſuevit venuſta
Eximios cumulâre plauſus.
Tuo decori Muſa panegyres
Centumq; tendit carmina nectere,
Ex ore centum Tulliano
Encomijs ſociare verba.
Tylicianæ ſtas Eloquentiæ
Famoſus Author, profluit aureo
MARKIEVI fonte, cûi abundat
Suada Dijs populiſq; dulcis.
Comptè Togatus dum in celebri Sophûm
Nodoſa ſolvis dogmata porticu,
Magnum in ſtuporem noſtra cogis
Corda ſimul geniumq; plaudens.
Apollo quamvis ſurgeret hinc Tuo
Ingens daretur gloria Nomini,
Sudore parta frontis altæ,
Artibus ingenuiſq; factis.
Sed Muſa credo grande piaculum
Perpetrat in Te Ternio Nobilis;
Pennâ cùm adumbrat inſolenti
Nomina clara Virûm per orbem.
Canat Thalia, vivite! vivite!
Patrum celebris vivito Ternio!
Fortuna ditet vos perampla
Aurea ſeclâ ſimul ferendo.

# CLYPEUS ORBIS PALLADIJ

VV. Viris ſecundæ Laureæ Candidatis contra ſcientiarum hoſtem

# EXPOSITUS.

I. V. D. JOANNI JASTRZĘBSKI,

*Stemma.*
*thionis Luna cũ*
*cum lemmate:*



*ſupra pennas ſtru-*
*ſtella.*
*Affulgent ſidera vo-*
*tis.*

Cynthia clara micat, rutilo cynoſura refulget
Sidere, pennarum quid decus ima tenet?
Hæ nuper galeas ornabant, inter & ignes
Nutritæ fuerant, ſidera celſa petunt:
IASTRZĘBSKI quod penna Tibi ſtudioſa recondit
Totum crede ſacra luce beare decet.
Struthio ſi ferrum, nubes ſi Cynthia frangit,
A Te fata ruent, credimus, aſtra favent.

II. V. D. MICHAELI JOSEPHO DROPCZYNSKI.

*Stemma*
*Supra ſoleā Crux,*
*det annulum ro-*
*Cum lemmate:*



*Avitum.*
*cui Avis inſi-*
*ſtro præferēs.*
*Canora trium-*
*phis.*

Crux

Crux soleæ victrix supereminet, altior ales
En residens, almæ, stat pretiosa Cruci.
Annulus ore cùi gemma nitet absq; decorus,
Illi DROPCZYNSKI, candida gemma manet.
Præstans ingeniô, monstrant vestigia Cruxq;,
Bella triumphator quòd studiosa gerat.
Eligeret nidos quodsi Tritonia doctos
Vertice jam vellet nidificare Tuo.

## III. V. D. BLASIO, JOANNI CANTIO KARPINSKI.

*Stemma.* *Arca Nòè vul-*
gò Korab. *Cum Lemmate.*
*Hac solâ securæ salus.*



Per medias ferri didicit quæ tuta procellas,
Cùm mundi maculas laverit unda gravis.
Hæc Tibi KARPINSKI faustissima contigit Argo,
Argo, cùi soli credita nostra salus.
Iam vada securus poteris superare ferocis
Euripi, vectus navita classe Tua.
Iasona non jactet Colchis cum vellere Phryxo,
Pallada cùm revehis, Iasona solus agis.

## IV. V. D. STANISLAO KUTLINOWSKI.

*Stemma.*
*in ſummum cre-*
*tice avis roſtro te-*
*Cum Lemmate:*



*Laurus frondoſa*
*ſcens, in cujus ver-*
*nens annulum.*
*Cælo vicina vire-*
*ſcit.*

Proceros tollens ramos, cum frondibus arbor,
Et folio viridis, floreq; pulchra viget;
Vertice ſublimi gratiſſima conſtitit ales,
Cûi rubeo gemmans annulus ore, micat
Iſta Tuæ virtutis erunt documenta per orbem,
O KVTLINOWSKI! gloria magna Craci;
Arbore ſumma petes facilis faſtigia: cenſûs
Annulus eſt ſponſor, geſta canet volucris.

## V. V. D. JOANNI CAROLO RACIBORSKI
*Seniori Scholæ Sanctorum Omnium.*

*Stemma.*
*in ſummitate Coro-*
*itidem ſoleam cum*
*Cum Lemmate:*



*Crux in medio ſoleæ;*
*næ Avis unguibus*
*Cruce præſeferẽs.*
*Tendit ſuper æ-*
*thera virtus.*

Cùm ſoleis Patrio, binis, Crux bina refulget
Stemmate, tum volucrem culta corona tenet.
Altera belligeram RACIBORSKI replet arenam,
Altera celſa petens ungve tenetur Avîs.

Sic

Sic terras victor, ſuperum ſic æthra trophæis
Reples, Neptuni regna patentq; Tibi.
Æquor adeſt, cures lymphas ſuperare Stagyræ,
Sic plaudes terris, æthere tumq; mari.

## VI. V. D. BOGUSLAO, STANISLAO BROMIRSKI.

*Stemma*
*Supra ſoleam Crux,*
*Corona, Canis ve-*
*prorumpit.*
*Cum Lemmate:*



*Gentilitium.*
*& in ſummitate*
*naticus medius*

*Lubrica non*
*metuit.*

Crux ſoleata micat, mediumq; corona moloſſum
Exambit, nitidis cingere culta rotis.
Quæ ſecreta latent? BROMIRSKI victor ubiq;
Sub Cruce ſtas, ſoleâ tutior alta petis.
Non Tibi prædonum metuenda pericula reſtant,
Nocte dieq; vigil nam excubat ecce Canis.
Ergo Palladiæ, tantarum munere dotum
Exornes, felix culmina docta Domûs.

## VII. V. D. FRANCISCO CASIMIRO, STANOWICZ.

*Stemma.*
*ex aqvis. ſupra*
*Cum Lemmate:*



*Cervus erumpens*
*quem Stella.*
*Undiq; ſalus.*

Corniger in gelidis sine cymba Cervus apertè.
Ex spatiatur aquis, per vada natq; levis.
Affulgens cynosura sibi, superemicat alto
Vertice, jam lymphas, jam petit ille polum.
Magna latent secreta Tibi, si credis, amande
STANOWICZ, superas sidera, tumq; mare.
Æquor Euripus, sunt sidera, clara Mathesis,
Flumina [ vela move ] Tullius ipse dabit.

## VIII. V. D. JACOBO, FRANCISCO KOBUSZOWSKI.

*Stemma.* *Rosa ex utroq;*
*illius latere stella, tertia supra e-*
*minet. Cum Lemmate.*
*Cælo vicina sereno.*



Purpureum stat flore decus, stant sidera circum
Bina latus, summum tertia stella tenet
Iam Zephyros devicit amans flos ipse decoro
Vultu, jam rubeo mitior aura favet,
Vere novo maturus erit flos, credite nobis,
Hunc Austri redamant, hunc & Olympus amat.
Quidni Musa KOBVSZOWSKI petat? unus amore
Cuncta rapis, nomen floreat orbe Tuum.

## IX. V. D. ANTONIO POLANSKI.

*Stemma.* *Solea, supra quã*
*Crux, in medio ensis, à partibus verò*
*Sagitta. Cum Lemmate: Undiq; victor.*



Enſis habet ſoleæ medium, tum vertice culta
Crux, à parte ſui bina ſagitta volat.
Arcus abeſt, Crux arcus erit, ſed credito, victrix,
Vt tutus ſoleis Io triumphe canas.
Seû Te terra petit POLANSKI Magne Sophorum.
Seû polus inquirit, victor ubiq; manes.
Quodſi Crux quatuor partes repleverit, Orbis
Sufficit haud unus, cum Tibi bina micat.

## X. V. D. FRANCISCO SZCZEPANSKI.

*Stemma. Roſa creſcens.*
*Cum Lemmate: E ſpinis ſpirat odorem.*



Flos micat in campo, qualem Pæſtana roſetô
Optaret gaudens Hybla fovere ſuô.
Sit licèt in viridi trunco, ſit ſpina, ſed ipſa
Purpureo cunctis vernat odore roſa.
Spina labor fuerat, de ſpinis prêndis odorem
Gratum SZCZEPANSKI, cum Tibi laurus adeſt.
Sic redamare roſam, ſic laurea ſerta licebit,
Hinc odor alliciet Te, magis inde viror.

## XI. V. D. VLADISLAO SIGISMUNDO de Nadole NADOLSKI.

*Stemma Gentilitium.*
*Columna ſuper tribus gradibus.*
*Cum Lemmate: Immota manebit.*




Eminet

Eminet æthereum feriendo vertice cælum,
Firmiùs & trino nixa Columna gradu.
Quid, petis? expectat, grandævis, meta coronas
Ad nitidas, nuper Regibus illa fuit.
Currito NADOLSKI, citiùs procurrito, tantîs
Crede, latet ſignîs, jam Tibi celſus honos.
Par meritis ramoſa feret cum laurea munus,
Plus ultra ſcandes, Augur Apollo canit.

## XII. V. D. STANISLAO MAŁECKI.

*Stemma. Duo Leones pu-*
*gnantes delauru*
*Cum Lemmate: Victori dabitur.*



Effera magnanimos cernas agitaſſe Leones
Prælia; victori, laurea præda manet.
Laurea præda manet, nulli ceſſura coronæ,
Fortior extiterit quæ, feret illa manus;
Viribûs ingenij vincis furioſa Leonum
Agmina MAŁECKI, Te petit iſta ſibi.
Bella move: victor ſed jam poſt bella triumphas,
Vertice cum præfers laurea ſerta Tuo.

## XIII. V. D. ADALBERTO FRANCISCO KOZINSKI.

*Stemma Avitum.*
*Inter duas Stellas Sagitta una, al-*
*tera ſupra coronam trans alā Aquilæ.*
*Cum Lemmate: Victrix ubiq;*
*triumphat.*



Efful-

Effulget geminum ſidus medioq; ſagitta
Vna ſtat alta petens, hæſit & una ſuper.
Fida miniſtra Iovis fortaſſis dura tuliſti
Tela DEO, telis præda fit ala meis.
KOZINSKI Te rite decent hæc munera fortem
Quem monſtrant mundo ſidera clara poli.
Iam video, non hoſtis erit ſecurior ullus,
Æthere ſi cunctos ſæva ſagitta ferit.

## XIV. V. D. CANTIO JOSEPHO NIEWIESKI.

*Stemma*
*Gladius in parte*
*Cum Lemmate:*
*ferrô,*



*Gentilitium.*
*lebetis; vulgo* Nowiná.
*Æri dat vulnera*

Æra ſonant gladiô fulgente reciſa lebeti,
Cæſaq; per medium ferreus enſis habet.
Herois, quæ tanta tulit ſed munera, magni
Dextra latet, totus forſan in aſtra volat.
Sic fateor, rapuit nobis Te celſa Matheſis,
Mucro ſed ingenij quid valet? æra docent.
NIEWIESKI jam nullus obex, nec Gordia virtus
Stat Tibi Palladiô, ſolvit ahæna manus.

## XV. V. & Admodùm Reverendo Domino CASIMIRO CHOCHMANSKI,
### *Authoritate Apoſtolica Publico Notario.*

*Stemma*
*Tria Lilia*
*Cum Lemmate:*



*Avitum.*
*præſeferens.*
*Non ſine candor*
*odore.*



Delicium

Delicium Floræ, primi ſacra munera veris,
Nobile CHOCHMANSKI, Lilia ſtemma refert.
Vrget odor redamare decus, candorq; vireſcens,
Hic oculos, animum recreat ille Tuum.
Sed meliùs mens paſta manet, cùm pectore puro
Virtutis nitidæ candidus hæſit amor.
Lacte tulit fuſo terris ſi Lilia Iuno,
Mella dabis dictis, lacteus ipſe, Tuis.

## XVI. V. D. PETRO ROHACZEWSKI.

*Stemma* *Gentilitium.*
*In medio Soleæ* *Crux una; alte-*
*ra ſupra* *Soleam.*
*Cum Lemmate:* *Ex omni parte*
*beatus.*



Fama fuit quondam, felicem Numina nullum
Paſſa vident adeò, nę ſibi quid noceat.
Sed tandem mutata ruit, Tu gloria noſtræ,
Gentis, dum ex omni parte beatus eris.
Bina micat Soleâ, geminans feſtiva trophæa
Orbe ſuper Lechico, Crux pretioſa Tibi.
Intro ſit, atq; foris, ſemper fortuna favebit,
Exambis quoties, laurea ſerta Sophus.

## XVII. V.D. ADALBERTO DOMINICO. ANDLIKIEWICZ Crac.

*Stemma. Super* *Libro clauſo Bi-*
*retum; a parte* *Avis annulũ uno*
*pede, altero* *Laurum portans.*
*Cum Lemmate:* *Deſpõſata labori.*



Mitra super Libro clauso stat docta, nitentem
Vngve tenet gemmam, sertaq; gestat avis
Sed vertex, qui tollat abest, tum pollice digno
Quæ gemmam referat, candida dextra latet.
ANDLIKIEVICIVS dona hæc feret, annulus ipse
Desponsat socium Palladis, inq; virum.
Si clausus tam multa valet, quid, dicis, apertus?
Hunc resera, folijs sæcula mille leges.

## XVIII. V. D. STANISLAO, JOANNI CANTIO ZIOŁKOWSKI.

*Stemma.* *Tria Flumina.*
*Cum Lemmate:* *Divite sunt pre-*
*tiosa metallo.*



Pactolus est aurô, gemmis pretiosus Hydaspes,
Dives Erythræum rubra coralla fovet.
Ergò sibi fortuna favet? mens tollit avara
Divitias miseris, tollit avara manus.
ZIOŁKOWSKI, quas Pallas opes Tibi docta recondit
Fluminibus, nunquam tollere fata valent.
Stat Canis ecce vigil, non fur, non tollet avarus,
Ille bonis custos, scylla sed ille malis.

## XIX. V. D. CASIMIRO, ANTONIO JUGIEWICZ.

**Not: Apost: Not: Apost: Prab: Scav:**

*Stemma.* *Avitum.*
*Serpens gladio* *sursum sinuatus*
*cuspide caput* *transfixũ*
*habet. Cum* *Lemmate.*
*Horrida monstra* *domat.*



Delius

Delius auratis ſtravit Pythona ſagittis,
Alcidæ fuerat, quod jacet hydra, labor.
Ignivomos Iaſon tauros domuiſſe refertur,
Enſe cadit ſerpens cùm ferus, author abeſt.
Auctor erit victorq; mihi mox, fortis ahena
Cuſpide IVGIEWICZ, horrida monſtra domat.
Jo canas, laurumq; geras, Tu ſolus Iaſon.
Alcides ſolus, ſolus Apollo mihi.

## XX. V. D. FRANCISCO JEZOWSKI.

*Inſigne.*
*intra lauream*
*Cum Lemmate:*



*Librum apertum*
*refert.*
*Hæc munera*
*docto.*

Grande volumen adeſt, reſerat ſed grandius illud
Ingenium, lauru pagina nulla vacat.
Sed totum victrix Tibi cingit adorea librum
IEZOWSKI, librîs hîs benè Doctor eris
Seû Te dulce petet nectar, ſeû gratia vatum
Sive Stagyra volet conciliare Sophum
Hoc de fonte fluent pro roſtris mella diſertis,
Arguet inde Sophus, inde Pòéta canet.

## XXI. V. D. JOSEPHO FRANCISCO. JASTRZĘBSKI.

*Stemma.*
*Crux, in ſummitate*
*annulum*
*Cum Lemmate:*



*In medio ſoleæ*
*coronæ avis tenēs*
*in pede*
*Mille parat*
*honores.*

Emicat

Emicat in medio ſoleæ Crux alma nitentis,
Annulus eſt ungvi ſumma petentis avis.
Quid ſecreta juvat ſcrutari magna Tonantis,
Sole mihi nitido clarior augur erit.
JASTRZĘBSKI victrice manu victricia ſigna
Qui præfers terris, æthere tumq; polo.
Ter centum natura ſuo cùm provida corvo
Annos ferre poteſt, jam Tibi mille feret.

## XXII. V. D. ADALBERTO TYBURCY.

*Stemma Avitum. Tres Cruces nexu ligatæ. Cum Lemmate: Sacri hæc ſigna triumphi.*



Tres ligat una Cruces, tres faſcia ſola tuetur,
Orbi perſimilis, num ſacer orbis erit?
Eſt ſacer: ille mihi nexus cùm ſigna ſalutis
Sacra refert, nexum quis neget eſſe ſacrum?
O pietas! quamcunque petes illuſtrior, orbîs,
TYBVRCY, ſacris pars Tibi nulla vacat.
Ergo nec in Lechico fugiunt Te ſacra Lycæo
Palladis, his præſes laureus Io cane.

## XXIV. V. D. JACOBO GORKOWSKI.

*Stemma Gentilitium. Inter duas Lunas Sagitta diſcerpta. Cum Lemmate: Par lumen utriq;*



Cyn-

Cynthia bina Tuo resplendet stemmate magne
GORKOVI, medium rupta sagitta tenet.
Vna pares spargit radios utriq; Dianæ,
Exæquat Phœbi lumina sola micans.
Fit stupor insolitus, si duplex ardet Olympo
Luna, sed hinc fusus cogitur ire procul.
Iunge pares, telumq; nitens det lumina, clarum
Fama feret toto nomen in orbe tuum.

## XXV. V. D. ANTONIO ADAMO BRZYSKI.

*Stemma Gentilitium.*
*Bos ruber, seu Vitellus in albo Campo & in summitate Corona medius bos erumpit.*
*Cum Lēmate: Ad labores natus.*



Iuppiter Europam cum subduxisset amantem,
Formosi speciem, fertur habere bovis.
Forsitan in rubeum voluit transire Vitellum,
Et niveo BRZYSKI stemmate numen agi.
Sic linqvunt superi cælum! sic Area magnis
Alba Dijs sedes, campus, Olympus erit.
Cara Deûm soboles ANTONI celsus honore
Astra petes, summo proximus ipse Iovi.

## XXIII. V. D. JOSEPHO ANTONIO KRAUZ
AUTHORI OPERIS.
In vim mutui affectus,

V. D. MICHAEL JOSEPHUS DROPCZYNSKI.

Primam

Primam appendit Epigraphen.

*Stemma* *Gentilitium.*
*Corvus tenens* *rostro annulum*
*Cum Lemmate:* *Est certi sponsor amoris.*



Corvus adest nitidus, quamvis hunc texerit atra
Pluma, nitet roseis aurea gemma malis
Clarior ex umbris video, sic sidera cæli
Clariùs effulgent, cùm sine sole micant.
At Tu magna Craci, magnorum tumq; propago
Clara Patrum, Phæbo proximus ipse nites.
Dat Corvus lucem, dat lumina gemmeus orbis,
Accendit Clypeus doctus amore focos.

Eidem Authori Operis.
V. D. JOSEPHO ANTONIO KRAUZ,
Secundæ Laureæ Candidato,
*in vim contestationis propensissimi affectûs.*
V. D. VLADISLAUS SIGISMUNDUS de Nadole
NADOLSKI.
*votivam apponit Epigraphen:*
*Æternos denotat annos.* Ovidius.

Cæsar pulverei fluitantia signa Gradivi
Vincit; & ex pugna lecta trophæa refert.
Ducitur in plausum plebs, multa frequentia salvum
Excipit: & salve Corvus amænus ait.
Annulus in volucris comprênditur ore rotundus:
Clarum victorem forsan & illa notat.
Haud dubitem terris felicem dicere vatem
Ingeniô Plato, Tullius ore manet.
Accrescas Major titulis; quot transiit annos
Patrius hic Ales, tot Tibi sæcla fluant.

## Eidem Authori Operis,

V. D. ADALBERTUS, DOMINICUS ANDLIKIEWICZ,

In Argumentum mutui applausûs & congratulationis offert.

*Lemma: Lux omnis, splendorq; sub umbris.*

Dum Clypeos recinis, dum Vates prælia cantas,
Quis Te non fortem dixerit esse virum?
Te Pater exornat celebris, Te digna Parente
Facta decent, sangvis Te super astra vehit.
Sit licèt immensus tamen est satis unus & alter
WĘGRZYNOWICZ, LOCHMAN, sidera clara Craci.
Hæc Tibi dum fulgent, CORVINUS clarior ipsô
Lucebit Phæbô, se licèt umbra tegat.

## Eidem Authori Operis

V. D. ANTONIUS ADAMUS BRZYSKI,

*In vim candidi affectûs, ac mutuæ gratulationis, auspicium felix ad honores precatur.*

*cum Lemmate: Bonis Avibus.*

Æthereum quæ celsa polum lustrare volando
Novit avis, præfert nobile stemma Tibi,
Æther ei tam clarâ Domus, tum pulchrior astrìs
Eligitur nitidìs annulus ore micans.
Sic Te Diva potens Regni Scholâ clara Coronis,
KRAUZ fovet, ut votis plaudat Apollo tuis,
Laurea dum cingit tua tempora, spondet honores
Corvus dicit ave, prospera fata sonans.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIJS,

*Magnifici Perillustris & Admodùm Reverendi Domini,*

# D. M. MARTINI ÓSLINSKI,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ DECANI, Prossovicensis PRÆPOSITI, Zielonecensis CURATI, Contubernij Hierosolymitani & Classium Novodvorscianarum PROVISORIS, Universitatis Cracoviensis Generalis ac Vigilantissimi

# RECTORIS.



